



A. J.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,  
De

17  
~~315~~  
492

TUTELA

IMPRIMIS

MULIEBRI,

QUAM  
PRÆSIDE DEO OPTIMO MAXIMO,  
SUMMO TUTORE

Ex

AUTHORITATE & DECRETO

*Magnifica, Consultissima ac Celeberrima*

FACULTATIS JURIDICÆ,

in Illustri Electorali Brandenburgicâ, quæ est  
Duisburgi Clivorum, Universitate,

PRO

Gradu DOCTORATUS & Summis in Utroque Jure  
Honoribus, Immunitatibus & Privilegiis, more ma-  
jorum rituque solenni obtinendis,

*Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit*

JOH. THEODORUS WEVER,

Herschedâ - Marcanus,

*In Auditorio majori, die 8. Novembris  
horis consuetis.*



DVISBURGI ad RHENVM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.  
Anno M. DC. XCI.



ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO  
DOMINO,

DN. ALEXANDRO LU-  
DOVICO RULEMANNO,  
LIBERO BARONI  
de QUADT de WICKRAD,  
DOMINO IN ZOPPENBRUCH  
ET MEYDERICK &c.

SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE ELECTORIS  
BRANDENBURGICI SATRAPÆ INCLUTI  
TERRITORII DIENSLACENSIS, SPLEN-  
DIDISSIMO, MERITISSIMO,

nec non

ORDINUM PP. FOEDERATI BELGII EQUITUM  
MAGISTRO STRENUISSIMO,  
DOMINO MEO GRATIOSO,

*Se, hasce pagellas inaugurales, & sua studia  
qualiacunq; eâ, quâ par est, animi observan-  
tiâ & officiosissimâ devotione commendat,  
sacrat, dedicatq;*

J. THEOD. WEVER.





I. N. D. N. J. C. S. U.

P R Æ F A T I O.



Um ex laudabili Academiæ lege, post  
 examinum pericula superata Thema quod-  
 dam publicæ disquisitioni subjiciendum sit,  
 morem ei, ceu decet, gesturus, tutelam  
 imprimis muliebrem sufficientem calamo  
 meo daturam materiam censui. Tutelarum  
 institutum, ut Civilis pariter ac naturalis  
 ratio commendat, id, quod per imbecillitatem sui se regere  
 nequit, præstantioris & valentioris consiliò ut regatur, di-  
 ctitans. *l. i. pr. ff. de tut. §. pen. Inst. de Attil. tut. l. i. ff. de  
 minor.* thematisque de tutela Muliebri, de quo imprimis  
 in præsentiarum tractaturus sum, utilitatem quotidiana ca-  
 suum, qui summa etiam in orbe Romano Tribunalia hoc  
 sæculo exercuerunt, variè obvenientia, ostendit satis, com-  
 mendatione mea egere haud puto: Auxiliante itaque Nu-  
 mine Divino rem ipsam aggredior, quam quinque Capiti-  
 bus absolvere mecum constitui; quorum I. generalia Tute-  
 larum. II. ad specialem mulierum tutelam transeundo, quæ-  
 nam personæ ad eam admittantur, III. rationem constitu-  
 tionis, seu qualiter personæ, quæ admittuntur, constituan-  
 tur, IV. officium earum in personam & bona pupilli pupil-  
 lævè, V. rationem finiendæ hujus tutelæ susceptæ brevibus  
 tradam;

A 2

CAP. I.



DE Tutelæ generalibus hoc capite acturo, primo loco dicendi materiam præberet quidem definitio ejus in *l. 1. pr. ff. de tut.* proposita, quod scilicet: *sit vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit jure Civili data ac permessa*: eam tamen ceu passim à DD. verbotenus discussam, propositoque meo imprimis interserviens hinc linquo, ac ad divisionem exinde fluentem transeo: vulgò autem ut dividitur tutela in *Testamentariam, Legitimam, & Dativam*; sic primam quod attinet speciem, ibi pater directò pro lubitu dat tutores; cum enim præsumatur, cum ingenia, mores, bonaque eligendorum perspecta habere, & de iis, quibus hoc munus injungendum, optimè judicare & posse & velle, *l. 7. pr. C. de curat. fur.* Jura Romana ei potestatem eligendi tutores valdè liberam præ cæteris dederunt. *l. 8. §. 2. ff. de testam. tut. §. 3. Inst. qui testam. tut. dar.* ut etiam vel servos sive proprios sive alienos *§. 1. Instit. qui testam. tut. l. 10. §. ult. ff. de testam. tut. & furiosos, d. l. 10. §. 3. ff. eod. alterius civitatis cives l. 32. ff. de testam. tut.* eligere ipsi integrum sit; quin, etsi nonnunquam à patre minus legitimè electio tutoris facta, confirmationis auxiliò facillimè juvetur *l. 1. §. 2. & l. 3. ff. de confirm. tut.* libertate ejus in paucissimis tantum restrictâ, velut e. g. in eligenda muliere, ipsâ etiam matre pupilli jure Pandectarum *l. 26. ff. de testam. tut.* Matri autem (aut extraneis) cum talem potestatem qualem pater, in liberos non habeat, nec ob iudicii istius sexûs imbecillitatem de idoneo tutore eligendo maturè adeò deliberare posse existimatum fuerit, talis libertas haud concessa; ut tamen, si liberis hæredibus à se institutis tutores dederit, præviâ cum inquisitione à Magistratu confirmandâ



firmandi sint. l. 2. ff. de Confirm. tut. Struv. Synt. Iur. Civil.  
Exerc. 31. thes. 19.

§. II.

*Testamentaria* deficiente, *legitimam* locum *præ dativa* occupare neminem fugiet; quia autem ab hac *legitima* facilius dabitur transitus ad specialem nostram materiam, eam rejiciendo in §. sequentem me adeò peccare non putem; licebit itaque in præsentem de *Dativa* agere, quam Magistratus ex potestate sibi specialiter tributa constituit l. 6. §. 2. ff. de tutelis. Potestas autem dandi tutores, quæ aliis atque aliis Magistratibus data. l. 1. ff. de tut. & curat. dat: tot. tit. Inst. de Attil. tut. ipsis etiam municipalibus in suis municipiis concessa, l. 3. ff. de tut. & curat. dat. non autem ulterius, quam jurisdictio pateret, potestatem concessam extendere poterant d. l. & §. 4. Inst. d. tit. Quâ ratione si diversis in regionibus pupillus bona habeat, singuli Magistratus ratione bonorum seorsim tutores dare possunt. l. 27. ff. d. t. Veruntamen hanc Magistratuum potestatem in dandis tutoribus valdè restrictam esse videmus, ut (1.) in servo eligendo, in quo Patris libera est facultas, illorum non æquè, quia hic potestatem manumittendi, illi non item habent. l. 7. C. qui dare tut. vel curat. Multò minus (2.) concessum Magistratibus privilegiatos aut invalidos muneri gerendo eligere. l. 21. §. 3. & 4. ff. de tut. & curat. (3.) Se ipsos l. 4. l. 21. §. 6. ff. eodem. quin suspectus redditur se muneri ingerens. (4.) A Patre prohibitos. l. 21. §. 2. ff. eodem. (5.) Creditores & debitores pupillorum, vid. Auth. Minoris. C. qui dare tut. & Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 8. thes. 4. lit. C. (6.) Mulieres. l. 1. C. quand. mulier tut. offic. (7.) Quos sub jurisdictione non habent. l. 3. ff. de tut. & cur. dat. & l. 5. C. qui dar. tut. (quemadmodum nec iis dare possunt pupillis, qui sub jurisdictione eorum non sunt, l. 1. §. 2. ff. de tut. & curat. dat.) nisi

A 3

Rectoris



Reſtoris Provinciæ auxiliò imploratò, *l. 24. ff. eod.* quò tandem etiam pertinet, quod demum dari poſſint tutores, à Magiſtratibus, teſtamentariis & legitimis deficientibus, *pr. Inſt. de Attil. tut.*

§. III.

Ad legitimam tutelam approperantes videmus LL. XII. Tabularum nullò teſtamentariò tutore exiſtente proximo agnato detuliſſe tutelam, qui & legitimus vocatur, *l. 5. pr. l. 6. ff. de legit. tut.* ex cauſa, quod proximus agnatus mortuis ab inteſtato impuberibus commodum hæreditatis conſequatur, *Struv. Synt. Iur. Civ. Exerc. 31. theſ. 24.* eandem ob cauſam patronus fit legitimus tutor impuberum libertorum. *tot. tit. Inſt. de legit. Patron. tut.* Ad ſimilitudinem patronorum per ulteriorem interpretationem & conſequentiam receptus eſt quoquè Pater liberorum emancipatorum tutor legitimus. *tot. tit. Inſt. de Legit. Parent. tut.* Denique quod ex ſola fiducia etiam vocetur ad tutelam 1. Pater filii ſui ab Avo, poſteà mortuò, emancipati, 2. Frater fratris, Sororis- vè à Patre defuncto emancipatorum. 3. Patruus fratris filii defuncto Patre ſuo emancipato. *l. 4. ff. de legit. tut. tot. tit. Inſt. de fiduc. tut.* Fratres autem emancipatos non minus ad legitimam vocari tutelam, teſtatur *l. 4. C. de legit. tut.* Poſtquam etiam Juſtinianus æquè ad cognatos ac ad agnatos hæreditatem transferri voluit: *Nov. 118. cap. 4.* non immeritò & proximis cognatis legitima quoque imponitur tutela *Auth. ſicut hæreditas. C. de legit. tut.* Dicta verò hæc de idoneo intelligenda tutore, quapropter nec minorennis, nec ſurdus, nec mutus, exiſtet tutor legitimus. *l. 5. C. l. 10. §. 1. l. 11. ff. de legitim. tut.* nec mulier idonea tutrix erit; cum tutela non minus ſit munus publicum, quam virile, exceptâ jure novo Matre, cui hoc munus, uti & Avix tandem delatum eſt: quid



quid jam circa hanc tutelam muliebrem observandum, in sequentibus uberius exponetur.

C A P. II.

§. I.

**A**D specialem itaque mulierum tutelam transeundo opinamur non fore fortè à ratione instituti nostri alienum, si hic notemus tutelam mulierum triplicem esse, vel dici posse, *Primam*, quæ exercetur in personam mulieris 12. annis minoris, & hanc ad vulgarem istam pupillarem referimus, sicque ab eâ pluribus describenda supersedemus. *Secundam*, cui mulier provectoris ætatis subest, & propriè dicta *tutela sexûs*: *Tertiam*, quæ à muliere exercetur in personam pupilli pupillævè, de quâ maximè dicendi locus erit.

§. II.

De secundô tutelæ genere, licet propositi nostri non sit, differere, tamen paucissima calamo nostro describere lubet; Refertur ab Historicis fide dignis, quod mulieres olim ob imbecillitatem & infirmitatem judicii *l. 2. §. 2. & 3. ad SC. Vellej.* & forensium rerum ignorantiam sub perpetuâ fuerint tutelâ, & nec ullam rem privatam agere fœminis sine auctore majores nostri concesserunt, sed eas in potestate vel parentum, vel fratrum, & virorum esse voluerint. Ut testatur M. Porc. Cato. Ap. Liv. *lib. 4*: Verba Boëthii ad Topica Ciceronis hæc sunt: *Mulieres antiquo jure tutela perpetua continebat, recedebant verò à tutoris potestate, quæ in manum Viri convenerant.* Cujus & Cicero in *Orat. pro L. Flacco* cum multis aliis testimonio esse posset, si operæ pretium cense-rem, eos allegarem; unicum tamen illud Ovidii adducere placet, quò tutelæ mariti in uxorem tum ex infirmitate sexûs muliebris, tum ex potestate maritali in uxorem, originem deducere videtur:

*Nupta*



*Nupta virum timeat, rata sit custodia nuptie,  
Hoc decet, hoc leges, jusque, pudorque jubent.*

§. III.

Hodiè istanc tutelam penitus obsolevisse patet, postquam vix ullum ejus in jure ab Imperatore vestigium relictum, sed etiam contrarium LLatorib: placuisse satis colligi possit ex *l. 3. C. de legit. tut.* Marito tamen suâ in uxorem salvâ potestate, *Gen. 2. v. 18. cap. 3. v. 12. l. 48. ff. de operis libert. & l. 14. §. 1. ff. solut. matrim.* si obsoletæ hujus tutelæ rationem adducere necessarium esset, dicerem, eam esse, ne per reverentiam marito debitam & societatem conjugalem, cum summo mulieris detrimentô redditio rationum eludatur. Quæ & ipsa ratio effecit, ut exemplo mariti pater quoque mariti, seu mulieris focer à curâ ejus excludatur, *l. 3. C. de interd. matrim. l. 17. C. de Excusat. tut.* concedimus tamen libenter, hanc tutelam in quibusdam adhuc Regionibus seu Provinciis, maximè in Geldria, Frisia, & Batavia, Sand. *in decis. Fris. lib. 2. tit. 4. defin. 3. & 4.* ac aliis hodièque florere, quod tamen nil derogat juri communi; quicquid etiam conetur Bachov. *ad Vvesemb. ff. de Curat. furios. per l. 8. & l. 11. C. de pact. convent. super dot.* demonstrare, quod & jure recentiori mulier in tutelâ mariti sit, putamus tamen facilè ex ipsis textibus aliud patere, habitâ dotalium ac paraphernalium bonorum in hac parte differentiâ.

§. IV.

Tertium autem muliebrium tutelarum genus, de quo potissimum agere constituimus, quod mulier ut tutrix voluntariè adit, exercet, quod attinet; quanquam id olim nec testamento *l. 26. ff. de testam. tut.* nec lege. *l. 73. ff. de Reg. Jur.* nec à Magistratu *l. 21. ff. de tut. dat.* mulieribus permittebatur; tum quod illæ, uti in præcedentibus videre est, perpetuâ tenerentur tutelâ, & sic obstaret ratio juris, eundem esse tutorem,



tutorem, & sub tutela constitui, iterum, eundem esse curatorem & sub cura agere; quæ certè & nominum & rerum foeda confusio est, rescribente Imperatore in *l. ult. C. de legit. tut. jung. §. 13. Inst. de Excus. tut.* Tum quod munus publicum & virile tutela sit, *l. ult. ff. de tut. addatur l. 1. §. 1. & l. 10. ff. de legit. tut.* quod animi provisionem, & corporalis laboris intentionem, quibus hæc munera civilia & personalia administranda, quibus quodammodò impares censebantur mulieres, requirat.

§. V.

Rationes tamen hæc ut partim jam cessant, partim inferiores visæ sunt, quàm ut omnes omninò mulieres tutelæ officio prohibere possint; quin tenerrimum matris affectum, & quæ ei postmodum juncta est, aviæ in liberos, indeque præsumptam diligentiam eas tutelæ muneri pares reddere creditum fuit; Undè & Jcti scribere coacti sunt: tutelam esse *plerumque* munus virile. *l. 16. ff. de tut.*

§. VI.

Comprehenduntur sub vocibus *Matris & Avia* matres quoque naturales tantùm, *Nov. 89. cap. 14.* utpotè quas naturalibus liberis deficiente tutelâ testamentariâ & legitimâ dari Imperatori humanissimum visum. *l. ult. C. quand. mulier tut. offic. fung.* Nil autem refert, an mater fuerit concubina, an foemina soluta, quæ ex consuetudine cum soluto citra nuptiarum schema, in nullam incestûs speciem cadente, liberos progeneravit, cum hi naturalium nomine ex usu maximè veniant. *Rittersh. ad Nov. p. 7. cap. 5. num. 2.* quin & spuriorum matrem ad tutelam ipsorum admittunt *DD. vid. Schütz Compend. Lauterb. de legit. tut.* Multò magis ergò legitimi, ac per rescriptum Principis non minus, quam per nuptias legitimè subsecutas maternâ gaudent tutelâ; nam illi regulariter Excepto successionis jure dicuntur legitimi *Nov. 89.*

B

cap. 9.



cap. 9. Hi per omnia similes redduntur filiis legitimè natis.  
*C. tanta. ext. qui fil. sint legitim. Nov. 12. cap. ult. Novell. 89.  
 cap. 8.*

§. VII.

Matres Illustres & Illustrissimas, non erit, qui excludet ab hac tutela, cum hæ æquè Matres ac cœteræ, nullibi que exceptæ, & dispositio generalis omnes complectatur, præsertim si illius ratio sit æquè proportionabilis, *l. 1. Cod. de tut. & Curat. Illustr.* quin à quibusdam non incongruè majorem ferè censentur habere amorem erga liberos; Admoveri autem Principum tutelæ matres cum prudenti senatu, secundum *Lips. in Monitis suis Polit. lib. 2. c. 4.* exigente rerum, negotiorumque mole & momentis, docet experientia; **Da werden Regiments oder Vormundschafts Råhle bestellet / welche alles administriren:** *Besold. thes. pract. voce Vormund.*

§. VIII.

Tandem licet sint debitrices vel creditrices liberorum fuorum, ad tutelam eorum, tam naturalium quam legitimorum admittuntur, debitis cuique integris manentibus. *Nov. 94. cap. 1. & Auth. adhac. C. quand. mul. tut. offic. fung.* quod, ceu naturæ amori indultum speciale habent præ cæteris tutoribus, vid. *Nov. 72. cap. 1. & seq. & Auth. minoris debitor. Cod. qui dar. tut. vel curat.*

§. IX.

Visis sic personis, quæ ad hanc tutelam admittuntur, restat videndum, quænam personæ ab hac tutelâ arceantur: arcentur autem quædam *in totum & perpetuum*, quædam *ad tempus*: *in totum & perpetuum* arcentur proavia, & reliquæ ascendentes, nec enim ullibi benignitatem imperatoriam eò extensam reperimus, ut ad tutelæ munus etiam aliæ mulieres præter Matrem & Aviam vocentur, sed quod extra has nullas alias admittere voluerit satis probatur, *per d. sepius.*



*Sapius. Nov. 118. cap. 5. §. nisi mater aut avia fuerit, his enim solis &c.* forsan quod amor in remotiores non ita fervidus, ac secundum ordinatum naturæ decursum proavia & ulterio- res ascendentes, seros adeò videntes nepotes corporis & animi viribus per ætatem, ut plerumque destituantur, sic- que oneri tutelæ impares esse credantur: Matribus quoque adoptivis & novercis nullò modò conceditur legitimas esse tutrices, cum in utrâque sanguinis simul & affectionis cesset ratio. *add. Nov. 118. cap. 5.*

§. X.

Porro licet personæ quædam sint tales, quæ aliàs admit- terentur, *in perpetuum* tamen repellantur ob vitia commu- nia, si scil. sint mutæ, surdæ, luxuriosè & prodigaliter vi- ventes, ut docet, præjudiciisque confirmat, *Carpz. R. Elect. lib. 5. tit. 8. R. 80. n. 23. & seq.* Deindè & matres natorum ex damnato coitu à tutela eorum arceri volunt; tandem quo- que Mater à tutelâ filiorum Electorum arceatur, cum ipso- rum senior Agnatus ex Lege Carolina Aurea justus sit tutor omni aliò cessante, remotòque tutelæ genere, *Dn. Schütz. Coll. Iur. Publ. lib. 1. tit. 6. pos. 18. Schvveder. Introd. in Ius Publ. part. spec. sect. 2. cap. 3. §. 11.*

§. XI.

An verò & Patris, testamentò Matrem vel Aviam tutri- cem esse prohibentis voluntas eam ab hac tutelâ repellere possit, quæritur inter DD. ? Negantium placet sententia, cum fas haud esse videatur, quod ex innatâ earum affectio- ne, & amore, pietateque introductum, solò Patris arbitriò nullâ accedente aliùs tutoris testamentarii electione immu- tari; quam sententiam *Imper. Novell. 118. cap. 5.* Patris E- lectionem alterius tutoris, quæ hic haud facta, requirendò, ac matrem solis testamentariis, quorum hic nulli sunt, post- ponendò non obscure confirmat.



§. XII.

Ad *tempus tantum* Matrem adhuc minorennem à tutelâ repelli verius esse credimus, exemplò cœterorum legitimum tutorum, cum jus vetus, quò curator dabatur, donec ad legitimam ætatem pervenisset tutor impubes. *l. 10. §. 7. ff. de Excus. tut.* vix mutatum dici possit: Correctio enim juris, nisi luculenter appareat, inducenda non est; Ergò usque ad matris majorennitatem tantum curatorem dandum exindè non obscure colligitur; nequè hic nobis obloqui putamus *l. ult. C. de Legit. tut.* quâ potissimum in contrarium moventur nonnulli: cum ea saltem ipsam administrationem & potestatis exercitium respiciat: atque ita statuunt, consulunt, decidunt, judicatumque esse referunt quamplurimi Jcti. uti Albericus de Rosate *ad Auth. nostram.* Socin. Sen. *vol. 1. Cons. 20. num. 8. &c.* Adfert & nobis Responsa Antecessorum Juris & Scabinorum pro assertione hac nostra sufficientia Dn. Richter. *lib. 1. decis. 121. n. 13.* & Dn. Hahn. *ad Wesenbec. ad tit. de tut. n. 5.* Quicquid etiam quidam DD. conentur probare, patriam potestatem per nuptias dissolvi, & sic matres sui juris fieri, consequenter etiam tutrices esse posse, licet minorenes; Hi noverint breviter, Patriam potestatem huc planè nihil facere, utpotè cujus dissolutio nil juvare valet minorennitatem, aut privilegium ætatis largiri: minorennis enim mater propterea non repudiatur, quia forsàn adhuc in sacris paternis, sed quia infra justos & publico muneri pares annos etiamnum constituta est. Aliud dicendum, sicubi consuetudine receptum, ut nuptæ majorenes censeantur, uti videre est apud Molin. *de Inst. & Jur. tract. 2. disp. 221. n. 6.*

CAP. III.



§. I.

CONstitutionem hujus tutelæ, & qualiter ad eam habiles admittantur, de quô hâc capite agere visum est, quod spectat: Primùm ex speciali postulatione à Principe ad liberorum tutelam mater admittebatur *l. ult. ff. de tutel.* Quando autem ea jus tutelæ petendæ habuerit, docemur *l. 2. C. quando mul. tut. off. fung.* scilicet cum tutor legitimus defuerit, vel privilegiô à tutelâ excusetur, vel suspectus summoveatur vel ne suis quidem pro animi & corporis valetudine administrandis facultatibus idoneus inveniatur; ex quibus nunc satis patet responsio ad argumenta eorum, qui demonstrare conantur, quod & jure veteri mater, licet legitimus tutor adfuerit, ad tutelam admissa; undè & facile concludendum, quod testamentariis semper postposita fuerit, id quod & hodiè obtinere nemo negabit.

§. II.

Quanquam ab Imperatoribus officium tutelæ gerendæ matres impetrassent, id tamen adire vetabantur, priusquam juramento secundis nuptiis, & Senatûs Consulto Vellejano renuntiassent, *d. l. 2. & seq. Cod. quando mulier tut. off. fung.* quod etiam confirmatum *Nov. 22. cap. 49.*

§. III.

Jure novissimô longè aliter sese res habet, nam ut munus id ab Imperatore specialiter petant matres, necesse non est, ita iis non solum privilegium legitimos & dativos præcedendi, sed & immunitatem jurandi meritò indulgit, *Auth. Matri & Avia. & Auth. Sacramentum. C. quand. mul. tut. off. Novell. 94. cap. 2.* idque ob fragilitatem sexûs temerè in hac parte pejerantis, & novos amores Sacramenti religione an-



tiquiores habentis: notum enim est licet Jovem Lapidem jurent, quam facile cum Didone:

*Huic uni possint omnes succumbere culpa.*

Licet autem quidam, mulieres adhuc ad juramentum hoc præstandum teneri, probare nitantur, iis tamen haud calculum nostrum adjicere poterimus per rationes quas confli-  
ctui reservamus.

§. IV.

Quamvis itaque secundum dicta §. præcedenti Juramen-  
tum istud remissum sit, ipsius tamen renuntiationis secun-  
darum nuptiarum, S<sup>C</sup>ti Vellejani, alteriusvè legitimi auxili-  
i foeminis indulti necessitas matri aviævè etiamnum incumbit.  
Quâ in re quemadmodum nullum agnoscimus discrimen in-  
ter plebejas vel vilioris conditionis mulieres, & illustres; Sic  
ad quæstionem à DD. motam: num & mater testamento  
patris tutrix data (sicut eam jam testamento patris dari posse  
nulli dubitamus) ad hanc renuntiationem obstricta sit? Re-  
spondemus affirmativè, cum in hac, quæ hoc modò datur,  
eadem sit ratio, quæ in alia, vid. *Zoef. ad tit. ff. de testam.  
tut. num. 12.*

§. V.

Tandem, antequam finem huic capiti imponamus, mo-  
nendum, hanc renuntiationem fieri debere expressè in Ju-  
dicio apud acta. *Novell. 118. cap. 5.* adde *Carpz. part. 2. Const.  
16. def. 18.* nihil autem interest, an mulier ipsa, an Procura-  
tor ejus locò renuntiet, *arg. l. 43. §. 1. ff. de Procur.*

C A P. IV.

§. I.

**A**gredior nunc promissò modò quædam earum officium  
concernentia; nam scimus, ex definitione tutelæ, quod  
tutores



tutores dentur ad *tuendum pupillum*; Hocce officium nunc non minus matribus incumbere, quam cæteris tutoribus, & has eadem munitas stare potestate, quis negabit? Merito eam ob causam de tuendo pupillo tacemus, cum summæ erga ipsum affectionis intuitu hæc tutela fuerit introducta, & hinc nemini ignotum maneat, quanta auctoritas in personam pupilli matri competat.

§. II.

Regulam in §. proximè præcedenti datam, scilicet, idem quoad personam pupilli matri, quod alii tutori, incumbere, nos quoque de bonis eorum tam feudalibus quam allodialibus affirmamus, & tam in his quam in illis eos easque pari frui auctoritate statuimus: in allodialibus licet nemo sit, qui neget, in feudalibus tamen eò plures hac super re reperiuntur controvertentes; quorum quidam à successione argumentum ducentes, Matri & Avix curam fœmineorum feudorum solum admittunt, quibus materiam litigandi frustra quærentibus faciliter quævis consentit schola. Quidam verò & Magni Nominis Jcti, Matrum administrationem ad feuda, in quibus fœminis nulla succedendi spes, sese non porrigere, acriter defendunt.

§. III.

Quicquid sit, his tamen consentire rationes sequentes minimè patiuntur; (I.) Quod tutores & curatores omnium illarum rerum curam sustineant, deque ipsarum administratione rationem reddere teneantur, quæ in inventario descriptæ: imò de aliis quoque, si quæ in illò omissa demonstrari possint, *l. ult. C. arbitr. tutel.* Inventarium autem ab omni tutorum genere conficiendum jure nostrò cautum reperimus, *l. 24. C. de administ. & peric. tut.* Matrem quoque ad ejus confectionem, vel eâ omisâ adjuratam specificationem teneri testatur Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 31. th. 36.*  
ergò



ergò. (2.) Quod nullibi videamus, quamdiu distinctio bonorum feudalium & allodialium viguit, distinctè alios ad bona feudalia, alios ad bona allodialia tutores curatoresvè datos esse. (3.) Quod emergens casus jure feudali non comprehensus lege scriptâ sit decidendus: silentibus itaque feudorum statutis, quid audire renuimus sanctissima sanctarum legum oracula, summâ justissimâque ratione nitentia? (4.) Quod ut cæteræ sic hæc specialis legitima tutela primariò ipsius pupilli gratiâ, bonorum per consequens saltem & accessoriè comparata sit; Equis asserere non erubuerit, nobilissimi Principalis Civis sc. Romani curam & salutem ex vilissimi accessorii respectu, putasse & statuisse integerrimos LLatores; & quis dicet, pietatem maternam liberorum in feudis deficere? Nemo. Nec video majus periculum in his, quam in allodialibus, præsertim cum matri (scil: *illustri ut plurimum contingit*) plures alii aut Contutores, aut Consiliarii, & Administratores adjungi soleant, uti supra dictum, quò in casu & consentire non recusat Carpzov. *de jure fœm. dec. 2. pos. 1. num. 25. & seqq.* Stat itaque matrem legitimam quoque esse tutricem feudalium, ut & consentit Strijck. *Exam. Jur. Feud. cap. 7. quest. 16.*; quod tamen limitatur, si aliud consuetudine familiæ obtineat.

C A P. V.

§. I.

**T**Andem progredimur ad modos tutelam hanc jam aditam finiendi: suntque vel *generales* vel *speciales*: *Generales* sunt (1.) Ex. gr. pubertas pupilli pupillævè, *princ. Inst. quib. mod. tut. fin.* (2.) Qualisqualis capitis diminutio, §. 1. *Inst. d. tit.* quod autem in tutore in maximâ, mediâque solum obtinet, §. 4. *Inst. eod.* (3.) Mors utriusque §. 3. *Inst. eod.* & alii,



& alii, quos hic recensere instituti nostri non esse putamus.  
facimusque eum ob causam transitum ad *speciales*.

§. II.

*Speciales* hanc tutelam finiendi modi sunt, (1.) si vel ad primas, scil. Concubina, *l. ult. C. quand. mulier. tut. off.* vel ad secundas aut ulteriores mater transferit nuptias, quæ si- vè justæ aut injustæ, scil. per Concubinatum, *l. 3. C. de na- tur. liber.* sint, nil interest, nam omninò ad virum venire prohibentur, *Novell. 22. cap. 40.* & pudicitiam intactam ser- vare jubentur: multò ergò magis (2.) ob luxuriosam vitam, stuprumvè commissum removebuntur, *l. 2. C. quand. mul. tut. off. fung.* nam universaliter tradunt, pœnas secundò nu- bentibus statutas incurrere viduas unicò stuprò *Novell. 39. cap. 2. Sanchez. de Matrim. lib. disput. 90. n. 2. & 13.*

§. III.

Nec potest Pater testamentò efficere, ut Mater in eò tu- trix scripta ad secunda vota sine amissione tutelæ transire valeat, sed hæc secundò nubens nihilominus tutelam relin- quere cogitur: Indulgentiam enim testatoris contra legum placita nequicquam niti posse, existimamus: manet itaque, has à tutelâ non tantum repentè expelli, sed & pœnas se- cundò intra annum luctûs nubentium incurrere. *Novell. 22. cap. 40.* si verò, priusquam ad maritos venerint, tutorem petierint, rationes reddiderint, & omne id, quicquid hinc debeant, exsolverint (salvò jure ob reverentiam maternam eis competente) *d. Nov. Montan. cap. 15. n. 84. tr. de tut. Carpz. I. P. F. S. part. 2. Constit. 11. defin. 15. n. 1. & seqq. se- cus dicendum.*

§. IV.

Nec admittitur iterum mater postea rursus Vidua, per vulgatum: jura semel maximè per factum tale odiosum ex- tincta non reviviscere, *l. 2. §. 4. ff. de cap. minut. Christinæ.*

C

vol. 3.



vol. 3. decis. Belg. 149. n. 5. & seq. aliud autem dicendum statuimus in muliere, quæ deposuit quidem tutelam, sed secundæ nuptiæ non sunt secutæ, antequam alius tutor constitutus, vel rursus amotus; nam nimis durum, eodem jure censeretur cum illo, à quò jam delictum perpetratum, & à quò non! quam sententiam nostram quoque suadet. Mynsing. 3. Observ. 83. in fin. Carpz. de Jure fœm. sing. dec. 2. pos. 1. num. 42. & 43. ut tamen in his, cæterisque causis, tutelam hanc finientibus plurimum prudentiam & cognitionem Magistratûs facere posse putem; Ne itaque in plures contra institutum evager paginas, limitationes prædictorum, quas, pro variis rerum circumstantiis Magistratui observandas hic nonnulli DD. commendant, prætereo, finemque, *equi*

*Lectoris æquum judicium implorans, huic Dissertationi impono: Interim pro præstita gratia & Auxilio fit*

SOLI DEO TER OPT. MAXIMO  
LAUS & GLORIA.

---

COROLLARIORUM  
MISCELLANEA.

I.

**T**utela sui & liberorum ex jure natura descendit, ideò merito præ omnibus parentibus competit.

II.

Mater pro lubitu quidem adire, sed non, nisi justa subsit causa, tutelam deponere potest.

III.

De Jure Civili ratihabitionem Patris liberos ante natos non facere legitimos, verius esse puto.

IV. Vidua



IV.

*Vidua concurrens cum liberis suis, si numero tres vel pauciores, in quartam, si plures, in virilem quoad usumfructum admittitur portionem, non autem numerus cognatorum ei quartam illo casu cum proprietate debitam minuire valet.*

V.

*Consuetudo in Scripturam redacta non desinit esse consuetudo.*

VI.

*Princeps Legibus Civilibus non naturalibus solutus est.*

VII.

*Mandator vulneris tenetur de cade subsecuta.*

VIII.

*Ius Feudale non tantum in imperio Romano-Germanico vim legis habet, sed & extra materiam feudalem in decidendis Controversiis Iuris Civilis, & vice versa, potest allegari, auctoritatemque habet.*

IX.

*Depositum ob impensas in id necessario factas justè retineri posse credimus.*

X.

*Filiusfamilias de Peculio Adventitio Extraordinario licitè transigere potest.*

XI.

*Servitutum Natura est, ut aliquis quid patiatur vel non faciat.*

XII.

*Feudalis obligatio non tollit Summum Imperium.*

XIII.

*Fides praedoni aut Tyranno data servanda est.*

XIV.

*Punctum Mathematicum est indivisibile.*

C 2

XV. Linea



XV.

*Linea recta est brevissima.*

XVI.

*Omne triangulum constat duobus angulis rectis.*

XVII.

*Unitas est numerus.*

F I N I S.



**Q**uicquid Mundus habet, valet hoc amplissima virtus:  
 Quicquid habet virtus, hoc Tua Musa valet,  
 Maeste proba virtute WEVER, nunc splendida iusto  
 Fax mundo, populo, Justitiaeque clues.  
 Quid Mulier Tutrix? Rerum Tutela Tuarum  
 Non est quod Mulier, gratia vana, fiet.  
 Te probitas vitae, praecleara scientia Juris  
 Integer & recti rite tuetur amor.  
 Sis Foelix! fortuna vocat plaudentibus alis.  
 Tutelae pretium, fulgida Laurus adest!

*Honori & Meritis Nobilissimi Domini  
CANDIDATI gratulabundus*

Scriptit

W I L H. C R U S I U S, J C.  
Univerf. h. t. Rect.

*Nobilissimo*



*Nobilissimo & Egregio Viro Iuveni,*

DN. JOHANNI THEO-  
DORO WEVERO,

Cum pro summis in UTROQUE JURE Honoribus

De TUTELA MULIEBRI,

*Publice, feliciter & cum applausu certaret,*

DUISBURGI VIII. Novembr. clō. lōc. xcl.

SI mihi Castalii fluerent in carmina rivi,  
Cantarem laudes, dulcis Amice, tuas.  
Cantarem doctis vigilatas noctibus artes,  
Atque tot ingenio parta tropæa Tibi;  
Virtutem, mores & onustum Pallade pectus,  
Queis Te Diva Themis sidera ad alta feret.  
Hæc ego si possem digno deducere versu,  
Surgeret hinc Musis pagina multa meis.  
Sed desunt Musæ, fugit inde Modestia laudes;  
Quas voluisse Tibi, me cecinisse, puta.  
Quin nec opus verbis, nec opus præcone Poeta,  
Qui versu dicat Teque Tuumque decus.  
Namque meas Musas rabioso Zoilus ore  
Roderet, & laudes turba maligna Tuas.  
Rumpere Livor iners, & turba inimica quieti!  
Rumpantur Momis ilia felle nigro!  
Perge bonis avibus studiis cultissime WEVER,  
Diva Astræa Tibi, quo pede cœpit, eat!

C 3

Sic



Sic Te olim dicent mirabunturque nepotes,  
Atque tuum Nomen Fama loquetur anus.

*Simpliciter & breviter, festino, ut nosti, stylo,  
hoc Amoris mutui monumentum, cui, ex  
Veterum formula, dolus malus abest,  
Tibi L. M. P.*

HENR. CHR. HENNIN. D. & P. P.

**J**uverit ut Viduas, precor, hæc Tutela, WEVERE:  
Dummodo non Viduam juverit illa Tuam!

*Istud, Natura, Alitura, Cultura dotibus Insignè  
& Eximio Dn. Doctorando proluxæ mentis  
signum breve ponit*

D. HUGUENINUS. S. Th. D. & P.

## A L' A U T H E U R.

### S O N N E T.

**T**hemis, Vierge Themis, qui laissez les humains,  
Que faites vous au Ciel où Iupiter Préside?  
Et puis qu'il n'y veut pas rien souffrir de perfide,  
De quoy peut y servir la balance en vos mains?

Helas! quand les parens, quand les freres germains  
Exercent sur la terre une rage homicide:  
Quand on charge de tort vôtre sexe timide,  
Pourquoy n'entend on plus vos arrêts souverains?

Non! Themis n'ouvre plus cette bouche celeste:  
Elle garde pour nous un silence funeste:

*Mais*



*Mais l'œuvre de ses mains ne nous manquera pas.  
Pour abolir le tort & ses trames anciennes,  
Elle inspire VEVER & luy fournit les siennes.  
Themis file la-haut : VEVER ourdit ça-bas :*

C'êt l'acclamation & l'augure de son  
amy & serviteur  
CHARL de RECQUE,  
CHEVALIER.

---

IN HONOREM  
*Nobilissimi, Doctissimiq; D. Dn. Doctorandi,*  
JOANNIS THEODORI WEVER,  
*Amici Sui Singularis.*

**N**on vile hic TEXTORIS opus WEVERE dedisti,  
Cum doceas quali benè sit tutela retenta  
Fœmineo à sexu methodô; portabit honorem  
Hæc TEXTURA Tibi, cum sit benè congrua Juri.  
Apprecor ut tali semper benè texere pergas  
Jura modô, ut præter reliquos tibi Juris honores  
Chara tibi gratam TEXAT quoque Virgo Coronam  
Teque tuumque sinu capiat tibi dulcis Amorem.

*Hæc Apprecationes ex sincero Animi  
Affectu apponere voluit*  
FERDINAND: SCHNUR,  
Padibornâ-Westphalus. LL. C.

---

**E** muß sich/Wehrter Freund/mein Wunsch hier billig finden/  
Wo Seine Kluge Schrift der Freunden Lob-spruch ziert:  
Die Themis rühmet Ihn in seinem Überwinden/  
Sie heut die Lorber-Crohn/ so Seinem Fleiß gebührt.  
Die



Die Tugend und der Fleiß also das Ziel erreichen!  
 So ihren Sitz in Ihm sich haben aufgesch'n!  
 Sie beyde heuchlen nicht: Die Mißgunst muß woll weichen!  
 Der Momus kan allhier mit Tadeln nicht besteh'n.  
 Die Tugend/ mit der Er zu leben sich verschworen!  
 Dieselbe pflastert Ihm die rechte Ehrenbahn;  
 Sie zeigt den Weg worauff gar keiner geh't verlohren!  
 Wie mit der Ewigkeit man sich vermählen kan.  
 Glück zu! Herz WEVER, Glück! Glück zu in allen Dingen;  
 Der Himmel gebe doch nach lange Jahre krafft!  
 Und laß Ihm all' sein Tuhn und Berck nach Wunsch gelingen!  
 Es bringe tausend Frucht Ihm Seine Wissenschaft.

Mit diesem wenigen wolte dem Hochgelehrten  
 Herren Doctorando, Seinem Hochgeschätzten  
 Freunde aufwarten / und der beharlichen  
 Freundschaft versichern

C L E M E N S B E R G,  
 Ein Bergischer / LL. C.

**S**leich wie Bellonen Schaar / umb Herbstes Raubigkeiten  
 Mit Muht und Helden-taht: mit ganker Waffen-pracht;  
 Zumahlen noch nicht ruh't; Vielmehr bey Ihrem Streiten!  
 Die strenge solcher Zeit ganz Ritterlich verlacht.  
 Also bey Pallas Heer / fürnemlich Themis Orden!  
 Ist dieser Zeiten trug mit nichten eine statt!  
 Dieweil der Ritter-Macht hieselbst so prächtig worden!  
 Des Krieg/ Sieg/ und Triumph/ ein stetes wechsel hat.  
 Er / Mein Herz WEVER, als der Themis hoher Krieger!  
 Zeigt heute solches / da durch Helden Muht und Sinn!  
 Er traget nach dem Krieg den Sieg davon. Ey Sieger!  
 Soll nicht die Sieges-Kron Triumpfsich Krönen Ihn?

Dieses hat dem Hochgelehrten Herren Doctorando  
 zu schuldigsten Ehren Glückwünschend  
 hinzufügen wollen

JOH. SCHRAGE, Ein Märckischer  
 von Ronfall / M. C.



Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle 3  
004 527 046



Sb


107











J. AUGURALIS  
C A,

17  
~~316~~  
492

1691/4  
E L A

M I S  
B R I,

M  
MO MAXIMO,  
TORE

DECRETO  
*ac Celeberrima*  
URIDICÆ,

enburgicâ, quæ est  
Universitate,

Summis in Utroque Jure  
Privilegiis, more ma-  
ni obtinendis,

*quisitioni subjicit*  
US WEVER,

arcanus,  
e 8. Novembris  
tis.

PHENVM,  
Academ. Typogr.  
.XCI.